

ACTA OFFICIORUM**PONTIFICIA COMMISSIO****AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS****RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA**

Eñi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur ðubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

A*I - De temporis supputatione*

D. I. An, electo uno temporis supputandi modo, hic, vi can. 33 § 1, in actionibus formaliter diversis, mutari possit.

D. II. An tres Missae celebratae nocte Nativitatis Domini sint actiones formaliter diversae.

R. - *Ad I.* Affirmative.

Ad II. Negative.

II - De appellatione Defensoris vinculi matrimonialis.

D. - An, provocante Defensore vinculi, vi can. 1987, contra secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, ad tertiam instantiam, Defensor vinculi ulterioris istius instantiae, etsi agatur de tribunali apostolico, interpositam appellationem, pro sua conscientia, deserere possit, ita ut tribunal, in casu, nequeat Defensori vinculi appellationem deserenti eiusdem prosecutionem imponere.

R. - Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 29 Maii anno 1947.

B

I - *De recursu ad Sanctam Sedem per Legatum Romani Pontificis*

D. - An clausula can. 81 « nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem » obtineat quoties Ordinarii facile recurrere possunt ad Legatum Romani Pontificis in regione, qui cum eadem Sancta Sede communicat.

R. - Negative.

II - *De duello*

D. - An, in iis locis in quibus sententia de duello habendo reservatur tribunali quod dicitur « honoris », provocantes et acceptantes incurrant in poenas de quibus in can. 2351 ipsa provocatione vel acceptatione.

R. - Affirmative, nisi certo constiterit provocantes et acceptantes non habuisse intentionem duellandi.

III - *De favore iuris quo gaudet matrimonium*

D. - An stante positivo et insolubili dubio de validitate primi matrimonii, invalidum, vi can. 1014, declarari debeat secundum matrimonium.

R. - Affirmative, dummodo causa definiatur ad ordinarium tramitem iuris.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 Iunii anno 1947.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*.

L. ☩ S.

A. Coussa, Ordinis Basilianorum Aleppen., *a Secretis*.

•
